

Mārcus interrogat: "Quot sunt ūva in nīdō?"

Quīntus: "Nūlla ūva, sed quattuor pullī."

100 Nīdus est in parvō rāmō. Rāmus qui nīdum sustinet  
nōn crassus, sed tenuis est. Rāmus tenuis Quīntum sus-  
tinēre nōn potest, is enim puer crassus est. Ecce rāmus  
cum puerō et nīdō et pullīs ad terram cadit!

Mārcus Quīntum ad terram cadere videt. Rīdetne  
105 Mārcus? Nōn rīdet. Mārcus enim perterritus est. Iam  
Quīntus et pullī quattuor sub arbore iacent. Neque puer  
neque pullī sē movent. Pullī mortuī sunt. Quīntusne  
mortuus est? Nōn est. Quīntus enim spīrat. Qui spīrat  
mortuus esse nōn potest. Sed Mārcus eum spīrare nōn  
110 videt, neque enim anima vidēri potest.

Quid facit Mārcus? Mārcus perterritus ad villam cur-  
rit et magnā vōce clāmat: "Age! Venī, pater!"

Iūlius puerum vocāre audit et exit in hortum. Pater  
filium perterritum ad sē accurrere videt eumque inter-  
115 rogat: "Quid est, Mārce?"


Mārcus: "Quīntus...est...mortuus!"

Iūlius: "Quid? mortuus? Ō deī bonī!"

Pater, ipse perterritus, cum Mārcō ad Quīntum cur-  
rit. Iūlia quoque accurrit cum cane suā. Quīntus oculōs  
120 aperit. Iūlius eum oculōs aperīre videt.

Iūlius: "Ecce oculōs aperit: ergō vīvus est."

Mārcus et Iūlia Quīntum vīvum esse vident. Puer  
autem ambulāre nōn potest, neque enim pedēs eum  
sustinēre possunt; ergō necesse est eum portāre.




est sunt: esse  
neque enim = nōn enim  
facere = agere



Mārcus perterritus est





lectus

Quīntus ā Iūliō portātur  
Aemilia Quīntum ā Iūliō  
portārī videt

Quīntus in lectō pōnitur  
Aemilia Quīntum in lectō  
pōnī aspicit

īnfīnitīvus - ī m (īnf)

vocāre  
vidēre  
accurrēre  
audire

-re

[1] -āre

[2] -ēre

[3] -ere

[4] -īre

esse ēsse

portārī  
vidērī  
pōnī  
audīrī

Quīntus ā Iūliō in vīllam portātur et in lectō pōnitur. 125

Aemilia filium suum ā Iūliō portārī videt, et interro-  
gat: “Cūr puer ipse ambulāre nōn potest?”

Iūlius: “Quīntus ambulāre nōn potest, quod nōn est  
avis neque ālās habet! Quī volāre vult neque potest, ad  
terram cadit!” 130

Aemilia Quīntum ā Iūliō in lectō pōnī aspicit.

### GRAMMATICA LATINA

#### Īnfīnitīvus

[A] Āctīvum.

Iūlius Mārcum nōn vidēre, sed audīre potest. Pater filium 135  
vocāre audit, et accurrēre videt.

‘Vocā|re’, ‘vidē|re’, ‘accurrē|re’, ‘audi|re’ īnfīnitīvus est.

Īnfīnitīvus: -re.

[1] -āre: cantāre, pulsāre, plōrāre, interrogāre, verberāre, nu-  
merāre, salūtāre, imperāre, habitāre, amāre, dēlectāre, por- 140  
tāre, ambulāre, exspectāre, intrāre, ūrnāre, clāmāre, mōns-  
trāre, errāre, volāre, natāre, spīrāre; dare; cēt.

[2] -ēre: rīdēre, vidēre, respondēre, habēre, tacēre, pārēre,  
timēre, tenēre, iacēre, movēre, cēt.

[3] -ere: pōnere, sūmere, discēdere, carpere, agere, vehere, 145  
claudere, vertere, currere, vēndere, emere, cōsistere, ostendere,  
bibere, petere, dūcere, relinquere, quaerere, vīvere,  
lūdere, canere, ascendere, cadere; capere, facere, aspicere,  
accipere, parere; cēt.

[4] -īre: venīre, audīre, dormīre, aperīre, reperīre; īre (ad-īre, 150  
ab-īre, ex-īre); cēt.

Mēdus servus esse nōn vult. Nēmō gemmās ēsse potest.

‘Esse’ quoque et ‘ēsse’ īnfīnitīvus est.

[A] Passīvum.

Mārcus ā Iūliō nōn vidērī, sed audīrī potest. Mārcus Quīn- 155  
tum ā Iūliō portārī et in lectō pōnī videt.